

alia, nec non inter prefatum serenissimum dominum regem ex una parte et prefatum dominum et commune Padue ex una alia parte; ac eciam inter prefatum serenissimum dominum regem ex una parte et dominum patriarcham et Ecclesiam Aquileensem ex alia parte vigeant colligationes seu lige, de quibus apparent publica instrumenta, fuit actum et specialiter conventum in omnibus pacibus supradictis inter omnes et singulas partes predictas, quod si presens pax rupta fuerit dicto domino regi vel alicui ex colligatis predictis, quod intelligatur rupta omnibus colligatis et cuiuslibet ex eis. Quo capitulo lecto, prefatus reverendus pater dominus Paulus Zagrabiensis episcopus procurator et procuratorio nomine regie majestatis ut supra, statim et incontinenti dixit, qualiter prenomi-
natus dominus Paduanus pro adherente ejus domini regis in pace hujusmodi et non pro colligato scriberetur. Quibus dictis dominus Jacobus Turchettus et ceteri ambaxiatores dicti domini Paduani, nomine ejusdem domini Paduani dixerunt, quod imo pro colligato scriberetur, quum colligatus erat dicti domini regis ut apparere dicebat per publicum instrumentum. Quibus dictus dominus Za-
grabiensis respondit, quod non erat colligatus dicti domini regis, nec eum pro colligato eciam reputabat. Hiis sermonibus interve-
nientibus supradictus dominus Leonardus de Montalto dixit, quod si appareret per instrumentum publicum dictum dominum Padua-
num fore colligatum ejusdem domini regis, quod ipse pro colligato habeatur, sin autem pro adherente ipsius teneretur. Item quod omnes adherentes dictarum partium et cuiuslibet earum qui supe-
rius sunt descripti, intelligantur et sint inclusi in presenti pace. Et quia non esset conveniens neque justum, quod presens pax, quoad offenses et restitutions dapnorum ligaret ignorantes, actum fuit et specialiter conventum inter omnes dictas partes, quod offendio-
nes inter dictas partes et earum gentes subditos adherentes et complices cessare debeant secundum determinationem et limita-
tionem locorum et temporum que fieri inter dictas partes, de qua conficietur instrumentum publicum, post que tempora secundum